

„Spiritu consilii , & fortitudinis , Spiritu scientiæ , &
„pietatis , & Spiritu timoris Domini .

PRÆLECTIO IX.

De Jesu Christo vero Messia in lege promisso,

ad expositionem cap. 3. primæ partis Ca-
techismi Concilii Trident. à §. 7. ad
nonum.

Quacumque scripta sunt , sive ab almis Vatis ,
sive a sacris Evangelistis , sive ab aliis Scriptoribus
divinitus inspiratis , ad nostram doctrinam scripta
sunt (a) : maxime ut credamus quia Jesus est Chri-
stus Filius Dei , & ut credentes vitam habeamus in
nomine ejus (b) . Hoc cum credere nolint Judæi , sum-
ma protervia , atque vesania negant Jesum Christum
esse verum Messiam in lege promissum , & alium stul-
tissime prestolantur . Quorum errorem nunc confutandum
aggredimur , ad expositionem cap. 3. primæ partis Catech. Conc. Trident. Ut autem optima causa
à nobis optime defendatur , ipsius auxilium imploremus , quem defendantum suscipimus , & per quem
accessum habemus ad thronum gratiæ , ad Patrem nimirum , &c. Adesto etiam Dei genitrix Virgo Maria ,
quaे talis sane non fore , si Filius tuus non esset Mes-
sias ; & cui non modica laus accrescit hujus verita-
tis confessione ; ob eam enim Beatam te dicunt omnes
generationes . Opem etiam fert Angelicæ Doctor Di-

(a) Roman. 15. v. 4. (b) Joan. 30. v. 3.

ve Thoma , Sancte N. & reliqui omnes in Cœlesti
patria commorantes , quibus benigne faventibus ordiar
dicere , si mihi prius &c.

2 Pro clariori hujus orationis methodo , eam in
tres partes parti sumus . In prima , littera textus bre-
viter delibatur : in secunda præcipuum Catechismi asser-
tum fuse discutitur : in tertia denique , si tempus adsit ,
thesis ex textu de prompta , & disputationi exposita , pro-
babitur , ac vindicabitur . Utinam totum , & meis votis ,
& vestre expectatione respondeat .

3 At ne diutius in limine detineamur , primam
ingrediamur partem , dicendo sic incipere litteram tex-
tus §. 7. *Jesu nomen , Christi etiam nomen &c.* ita ve-
ro finire §. 9. *Divina , & humana natura convenit.*
His tribus paragraphis proseguitur Catechismus expli-
cationem secundi articuli symboli , quo credimus in
Iesum Christum Filium Dei unicum Dominum no-
strum . Cumque in praecedentibus declaraverit hujus si-
dei necessitatem , & significatum dulcissimi Jesu no-
minis ; nunc Christi nomen additum Jesu Nomini
suscepit explanandum , dicens significare unctum ad
honorem , & officium Sacerdotis , Regis , ac Prophe-
ta , qui oleo ungebantur , & ideo Christi vocantur
in sacra pagina . Quod proprio convenit Jesu nostro ,
cum sit Sacerdos , Rex , & Prophetæ , ut pluribus Scrip-
ture monumentis ostendit . Deinde docet Iesum Christum
esse Filium Dei unicum , verumque Deum ab
æternō à Patre genitum ; sicut secunda creditur Tri-
nitatis persona , primæ , ac tertię omnino æqualis ,
eamdem habens essentialiam , voluntatem , potestatem ,
sapientiam , & alia attributa divina , alias Deus non
esset , contra illud Joan. 1. *In principio erat Ver-
bum , &c.*

4 In cuius generatione , ait , nihil terrenum , aut mor-
tale cogitandum est ; sed totum æternum , supernatu-
rale , divinum , humanæ mentis aciem superans , jux-
ta

ta illud Isaæ 53. v. 8: Generationem ejus quis enarrabit? Unde mysterium istud credi debet, & coli; non vero sola naturali ratione investigari, quamvis aliquæ affiri possint similitudines ad aternæ generationis modum aliquantulum indicandum, præsentim ex generatione Verbi ab humano intellectu producti, quod expers materiae est, licet defectu virtutis non sit substantiale, permanens, & eamdem cum suo principio habens naturam. In Deo autem cuius divine menti nihil deest virtutis, producitur consubstantiale Verbum, quale est Verbum Divinum. Itaque Christus Dominus est Verbum istud ante omnia sacula genitum, ac insuper homo est in tempore ex Maria matre Virgine natus; & quamquam duplex sit in eo nativitas, unus dumtaxit est Filius, utpote una tantum persona in duplice natura subsistens, divina nempe, quam, ab aeterno habet ex Patre, & humana quam in tempore summis ex matre. En Catechismi synopsim, & primam orationis partem.

5 Ad secundam igitur deveniamus, ubi littera supra contracta petit fusiū enucleari; quia tamen tot, & tantas quæstiones includit, quæ omnes in hac angustia temporis late discuti nequeunt; ideo brevitatè consulens, missis aliis, hanc præcipuum assertionem contra pervicaces Iudeos nunc defendandam suscipio: *Iesus Christus est veris Messias in lege promissus.* Id autem neque illustrius fortasse, neque efficacius probari poterit, quam accurata præteriorum temporum consideratione. Nam si præterita tempora jam inde à primis propemodum seculis, ad illum usque diem recolamus, quo divinus iste sol mortalibus illuxisse dignatus est: quid obsecro, nobis cogitantibus, & omni mentis acie caliginosam illam vetustatem contemplantibus sese offert, præter obscurissimas, densusimæ tenebras? Quis gentium errores, quis barbarorum mores, quis instituta vivendi, quis multipli-

ces

ces illos delusæ, atque perditæ gentilitatis sinus explicare, quis errorum causas, progressus, evenitusque valeat recensere? Omnes nationes caligine circumfusæ non rationem, sed impellentes affectus sequebantur. Conflagrabat libidine Asia, Ægyptus animantibus, atque lapidibus divinos honores deferebat; mendacissima Græcia Poetarum fabulis, & importunitissimi Philosophorum clamoribus personabat; Italia bellico furore, & gloriæ cupiditate fremebat; reliquæ orbis Provinciæ eisdem morbis, & perturbationibus æstuabant. In ea denique scelerum sentina, & errorum perversitate mortales omnes versabantur, ut non errare, sed insaniare; non labi, sed ruere; non decipi, sed cum lacte errorem suxisse, & quod Cebas Thebanus sapienter dicere solebat, errorem omnes bibisse vidérentur.

6 Quod si accerrimus ille concionator, vatesque divinus Isaías Messiam exortentem aliquando prophetica mente contemplans, mortales omnes spe hujus tantæ felicitatis illis verbis erigebat (a); non tibi amplius Sol diurnam lucem effundet, nec Luna splendor lucem subinde ministrabit, sed erit tibi Dominus lux sempiterna, & Deus claritas tua: si codem consilio justos, & pios homines Malachias consolabatur (b): vobis inquiens, qui nomen meum reformatis, Sol orietur justitia, cuius radii vestra salus contingebit: si Danieli vehementer oranti, & peccata populi plangenti, occiso Christo, consumandam prævaricationem, finiendum peccatum, delendam iniqutatem, & justitiam sempiternam adducendam, Angelus olim pollicebatur (c); cum in tam confusa rerum perturbatione, virtutis, atque sapientiae caelestis illato lumine, densissimæ ignorantiae, & improbitatis tenebrae dissiparet; cum via ad felicitatem humanis sceleribus interclusa, jam mortalibus patefacta; cum

te-

(a) Isaie 60. v. 19. (b) Malac. 4. v. 2. (c) Dan. 9. v. 24.

teterrima scelerum, & vitiorum vestigia, divina prædicatione, & innocentissimæ Christi vita sacrificio detuta; ceteraque omnia in Christo feliciter adimpta videantur; quis erit adeo plumbeus, ut veteres tenebras considerans, & splendidissimam evangelicæ doctrinæ lucem aspiciens, Christum Jesum verum esse Messiam incifteret?

7 Sed ea majori attentione, animique cura dignum esse videtur celeberrimum præ ceteris Jacobi oraculum, quod in illo de Messia adventu fides maxime stabilatur, & Judæorum incredulitas illum adhuc inaniter expectantem, ita refellatur, ut ex pertinacioribus vix quisquam hiscera audeat. Jacob enim sanctissimus æque, ac sapientissimus parsens, morti proximus, filii suis bene dicens, & eis ventura fausta prænuntians, Judæum sic alloquitur Genesis 49. v. 10.: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & ipse de semore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Hic Judæorum solvuntur frigore membra. Norunt, lieet ægre, norunt regiam potestatem è tota gente Judaica, regnante Herode, ad alienigenam fuisse translatam, seque omnes post Hierosolymitanum excidium fuisse quoquaversus dissipatos, alienis parere legibus coactos, omni supremæ potestatis titulo exutos, undequaque misere vexatos, invisos, despctos, omnium Iudibris expositos, sine Rege, sine Principe, sine Altari, sine Sacrificio, sine Sacerdotio, in summa denique rerum omnium penuria, vitam omni morte pejorem infelicer agere.

8 Usque adeo, auctore Tertulliano (a), *Dispersi, palabundi, & cœli, & soli sui extorti vagantur per orbem, sine homine, sine Deo rege; quibus nec advenarum jure terram patriam saltem vestigio salutare conceditur.* Quas quidem ego acerbissimas calamitatibus pla-

(a) Tertullian. in Apologet. cap. 21.

plagas, quæ his etiam temporibus conspicuntur, cum intentis mentis oculis specto, summo quadam plerunque dolore confitor, ac mestissimum Jeremiam videre videor sordidatum, cinere conspersum, moerore confectum, lachrymis perfussum, non jam in antiquam illam, sed in presentem Hierosolymam, defixis, atque intentis prophetæ mentis oculis, lugubri, & mæsta voce, ejus cladem, orbitemque lugere; adeo ut mihi quidem ejus luctuosa carmina audienti, non tam ille direptam veterem Hierosolymam, quam vastatam Synagogam; non tam everos lapides sanctuarii, quam præsentes sui templi ruinas; non tam virgines, & juvenes illos, quam hujus temporis Judæos omnes captivos adduci; non denique veteris Sion, sed totius hebraicæ stirpis; non illius, sed hujus temporis miseras fuisse lamentatum; illasque suas acerbissimas lachrymas non suis, sed istis miserrimis temporibus impendisse videatur.

9 At, quoniam intellexerunt Judæi maximam hujus argumenti vim, ad eorum insaniam profligandam, & hoc quod magna totius orbis consensione proponitur, lethale sua miserrimæ causæ vulnus futurum pertimescent; omnes ingenii nervos ad illud evertendum contulerunt; cuius ut auctoritatem eluderent, extremis adhibitis viribus, superos, & Acheronta moverunt; hancque Jacobi prædictionem alii ad Moysen, alii ad Saulem, alii ad Davidem, alii ad Jeroboamum, alii ad Nabuchodonosorem, alii ad Herodem, alii ad Vespasianum, summa hebetudine retulerunt; quibus omnibus clarissimo adeo oraculo tenebras consulto offundunt, suosque oculos ad tot afflgentes veritatis radios deploranda caccitate occludunt. Solum deest ad culmen vesaniae Judæorum, ut illud Jacobi oraculum applicent Antichristo.

10 Verum qua ista est aut cæcitas, aut dementia, ut Jeroboamum omnium post hominum memoriā stultissimum, Herodem, cuius, teste Macrobiō, melius est
Tom. I. Q. es-

esse porcum, quam filium, & Nabuchodonosorem mortaliū sceleratissimum, qui Iudeos ipsos durissima servitute oppresit, qui nihil amplius quam odium, & crudelitatem in eos spiravit, qui gentium execratio, qui totius humanitatis fuit ignominia, expectationem gentium, faustissimumque Iudeis Regem, uti Jacob pollicebatur, palam nominare non erubuerint? Quæ ista est plusquam Thrasonica impudentia, ut Moysis, Davidisque temporibus, quorum posteris Judaicum Regnum opibus abundans, ditione augustum, pacis munere fortunatum, mirificisque dotibus insignitum felicissime floruit, & tota gente Judaica ablatum sceptrum, sacra renuenti historia, dicere non dubitaverint? Quis eos tantus invasit stupor, ut has argutias à nobis detectum iri non putarent, & hujusmodi præstigijs credentes se posse curiosus nostrorum oculis pulverem offendere, ne suam perditanam jam, & causam, & mentem inveniantur, qui hæc temere, & ineptissime effutant, ne nihil dixisse, ne ipso silentio vici conspiciantur?

11 E mortuis vero excitatum credes Aësopum, Pheidrume fabulas enarrantem, si Rabbinos alios summum, atque indissoluble positi argumenti robur minuere, aut evertere molientes, pacificis auribus tantisper excipias. Audies in Bagdad maxima, & amplissima Asia civitate, millia Israelitarum ubertate rerum omnium affluentium subsistere, Iudeo Principe imperium tenente, cuius dignitatem perpetua successione ad Messiam usque duraturam confidunt. Sic Rabbi Benjamin Tudelensis. Audies in Syria regnum habere florissimum, sed nullum inde nuntium ad eos commearere, quod interjaceat flumen Sabbathicum, sola die Sabbathi navigabile, qua sola ipsi (proh dolor!) iter agere prohibentur. Sic Rabbi Abraham Peritol. Audies decem tribuum reliquias, quas Assyriorum Rex Salmanasar in captivitatem adduxit anno ante Christum 721., in Aëtiopia amènissima loca incolere, manibus

bus tamen igneis circumsepta. Ita Rabbi Simeon Jalcut.

12 Audies has ipsas Iudeorum tribus in America faustissime regnare, sed nubibus expansis protectas, & à ceteris mortalibus separatas. Ita Thalmud Hierosolymitanum, Audies in Oriente amplissimum senatum, gloria, & dominio celebrem possidere, sed ab omni reliquorum hominum societate, adituque seclusum propter vastissimas solidines interjectas. Ita Postellus semi-Judeus part. 1. hist. Orientalis, cap. 5. & 6. Audies . . . sed quorsum hæc? Scilicet ut intelligas quam fecundum sit Iudeorum in commentis fingendis, & nihil venditandis, (qui tam care alia vendunt) ingenium, ut Christi fidelibus fucum faciant. At creditat hæc Appella Judeus, nos eorum stoliditatem credemus, & pertinaciam execramus. Vah effrontes homines! jam apud Isaiam dicentes: (a) *Posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus.* Tale profecto est Judaicum sceptrum, magicis artibus fortasse latens in insula Barataria: licet mihi cum Nazianzeno, (b) ridicule de re ridicula loqui; non enim nisi, sed risu expugnanda sunt illa toties decantata, sed nunquam ostenta, nec ostendenda regna Judaica, cum mera sint vigilantium somnia, seu potius ebriorem deliria, quæ nobiscum vel inviti etiam rident cordatores Rabbini, quibus aliquid pudoris est, frontemque non omnino perficieunt. Quos inter Rabbi David Kimchi in Prophetam Oseam; Rabbi Isaac Abrabavel in commentariis in Isaiam; Rabbi Samuel epist. ad Rabbi Isaac, quam ex arabico in latinum vertit Alphonsus Boni-hominis Ord. Praed. (c); Rabbi Manasse; Rabbi David Ganz, & Rabbi Isaac Akrich. Ad cuius uberiorem notitiam videri possunt Huetius in demonst. Evang. prop. 9. c. 4. Natalis Q 2. Ale-

(a) Isaie 28. vers. 15. (b) Nazian. orat. 1. de Theolog. num. 1. in fine, pag. 488. tom. 1. editionis Maurine anni 1778. (c) In Biblioth. Regie Universit. Majoricens. exat duplex illius exemplar alterum M.S. alterumque editum, sed utrumque rarissimum.

Alexander dissert. 12. in tertiam mundi ætatem prop. 2.
Serry exercit. 14. aliique innumer. (a)

13 Quia tamen, ut paulo antea dicebamus, quæ
à Rabbini de mentitis regnis obiciuntur, somnia sunt
delirantium; lubet eos convincere somnio experientia
comprobato, & in sacra pagina expresse tradito, quale
fuit illud Nabuchodonosoris à Daniele divinitus cogniti-
tum, ac interpretatum cap. 2. v. 31. & sequentibus. Ibi
enim legitur Regem vidisse statuam magnam, atque
sublimem, cuius caput erat ex auro; pectus & brachia
ex argento; venter, & femora ex ære; tibie vero fer-
rea; pedum quædam pars ferrea, quædam fistilis. Quæ
quidem statua in inferiori parte percussa, lapide sine
manu de monte absciso, prorsus contrita, & in favil-
lam redacta, significabat quatuor monarchias, Chaldaeorum
scilicet, Persarum, Græcorum, & Romanorum.
Lapis autem de monte abscisus designabat Messiam in
lege promissum, cuius ope suscitandum erat regnum
perpetuum duraturum. Quis igitur inde non videt Mes-
siam jam advenisse, ipsumque fuisse Jesum Christum
Christianorum ducem?

14 Prefecto novimus Chaldaeorum Regnum aureo
capite figuratum, sub Nabuchodonosore jam diu stetisse:
novimus Persarum Regnum pectori, brachiisque ar-
gentei demonstratum, sub Darii Regibus floruisse:
novimus Græcorum universæ terra dominantium Re-
gnum æcum, Alexandro Magno quantum par erat
viguise: novimus Romanorum Imperium ferri indu-
tum similitudinem, potentissimis armis hac omnia de-
bellasse: unde ergo in tam fatidum stultitiae barathrum
inciderunt Judai, ut quintum Regnum, in cuius ortu
Messias venturus promittitur, jam pridem perventum,
agnoscere detrectent, & etiamnum consequentem fu-

giant

(a) Vid. etiam Biblioth. Hispana Rabinica Cl. Josephi Rodriguez de Castro,
nuper edita, tom. i.

giant veritatem, dum clarum adeo vaticinium in Chri-
sto Jesu ad amissum impletum, obscurare vanis argutiis
moluntur? Numquid Jesus noster non fuit lapis ille
abscissus de monte sine manibus, qui de monte æterni-
tatis per virginem, sine ope viri descendit? Numquid
Jesus noster ad pedes statuæ hujus mundi pertingens,
eius proceritate non fregit, non in favillam reduxit,
non ad nihilum rediget?

15 Numquid Jesus noster non fuit lapis ille factus
mons ita magnus, ut universam terram impleverit?
Qui licet pauper, humili, abjectus, creditus fabri fi-
lius, ut impius damnatus, inter latrones crucifixus,
duodecim piscatorum opera, universum orbem varias in
regiones dissetum, non machinis bellicis, non philo-
sophorum argumentis, non rhetorum eloquentia, non
illecebris voluntum, non pollicitatione opum; sed
operum supra naturam ostensione, ac sanctissimæ vita
tenore, in suam coelestem, carni, sensibusque invisa-
doctrinam pertraxit; totum genus hominum à sæculo
fallaci avulsi; ad amorem coelestium revocavit; tu-
multuantes Stoicos repressit; Epicureos abegit; Philo-
sophorum greges, aut sibi adscivit, aut dissipavit; re-
conditissimam philosophiam imperiæ multitudinis ani-
mis insevit; temporalium contemptum prophanis per-
ditissimum hominibus inspiravit; miraque promitti-
dine, Provincias, Regna, Nationes, totum pene ter-
rarum orbem, Evangelico imperio subjectum continuit,
& conservavit (a).

16 Numquid Jesu Christi Religio non est regnum,
quod in æternum non dissipabitur? (b) Quæ licet cæ-
cam Tyrannorum rabiem, insaniam, atque potentia mu-
nitam, in christianorum innocentiam, omni nudam, at-
que destitutam prasidio, impune, crudeliterque sa-
cra vien-

(a) Vid. Fontidonus pag. 355. (b) Vid. Selvag. tom. i. lib. i. antiqu. Christ.,
cap. 9. §. 2. pag. 70. & seq.

vientem, non semel asperit, validissimosque ejus milites patria extores, bonis spoliatos, flammis combustos, ferro perentos, lapidibus obrutos, membratim consciisos, excoriatos, dilaceratos, dirissimisque aliis tormentorum generibus cruciatos, & extinctos; vexata tunc, undique immanissimis persecutionibus exagitata, minime subeubuit, sed quasi saxum tumentis marii fluctibus verberatum, immota semper stetit, & non modo stetit, sed inter ipsas carnificum cruentas manus, majora in dies suscepit incrementa; seque, effusso suorum sanguine, veluti sparso semine, foveas, ut ait Tertullianus, novorum ortu misericorde locupletavit? Numquid Iesu Christi Ecclesia non est regnum Dei, quod alteri populo non tradetur? Quæ licet innumeris infensissima sibi hostium genera, jam inde ab ipsis incubanibus, ad hunc usque diem sit experta; modo alias, qui crudelitate, & gladiis armati, inauditis tormentorum generibus, homines ab illa revocare, & Christi nomen delere conarentur; modo alias, qui christiana doctrina puritatem, sicut illi impudicissimi senes, Susanna pudicitiam, vitiare, atque corrumpere studerent; modo alias, qui, teste Apostolo, veritatem Dei in injustitia detinentes, pulcherrimam illius faciem pravis moribus, turpissimaque vita deformarent; modo alias, qui licet ex illius visceribus orti, in sanctissimam, piissimamque matrem contumeliosi, insanis erroribus illius tranquillitatem, pacemque turbarent; modo inumeros, qui maxima ipsius gloria invidentes, acerrimo undique bello illi indicto, in ejus perniciem sevissime irruerent; tot tamen inter malorum agmina, illæsa, atque inviolata, portarum inferi vires omnes eludens, omnem, quam erat adepta gloriam invictissime tutata est, & latissime ampliavit? (a)

(a) Numquid Deus ipsum Christianæ Religionis per-

(a) Vid. Fontidomius pag. 173.

persequitorum, quemadmodum Moysi olim promiserat, acerrimum vindicem extitisse non vidimus? Dum Nero, Christiani sanguinis crudeliter prodigus, seipsum ferro transfixit; Decium absorbsit terra; Maximianum laqueus; Severum haustus veneni; Julianum Apostatam turpissimum finis extinxit; in latrinam, animam cum visceribus emisit Arius, & proximioribus sæculis Adam Nauzerus novus sectator Arii, simili morte finivit; cum tot denique hominum Christi Ecclesiam consequentium, ut minitatis fuerat Jeremias, pessima morte ceciderint, quot refert Lactantius Firmianus, sive ut conjectatur le Nurry, alter Lucius Cæcilius, auctor libri de mortibus persecutorum, aliique innumeri Scriptores Ecclesiastici; quis Jesu Christi Religionem veram insciabitur? „Ignoscendum est antiqui Judæi, (dicebat quandam „Div. August. tract. 9. in Joan.) nam offendunt iste „lapidem, qui nondum creverat; qui autem negant „Jesu Christi Ecclesiam toto orbe diffusam, non in „humilem lapidem, sed in ipsum montem offendunt, „qui ex illo lapide factus est. Cæci illi non vi- „derunt lapidem, quanta cæcitas est non videre mon- „tem?“

18 Si tamen videre velint Judæi, deponant paulisper injustum odium, quo Christum Dominum prosequuntur; ac serio, ut par est, scrutentur scripturas, quæ testimonium perhibent de Messia jam dudum misso, in terris viso, cum hominibus conversato, & ab illis ad ipsorum salutem occiso. Quod facile percipere poterunt, antiquum cum novo foedore conferendo. Verum cum Judæi sibi graviter interdixerint lectionem novi foederis, & vetus pessime legant; sit inde, ut videntes non videant, & intelligentes non intelligent. Quod Isaías jam prophetavit. Ad ipsorum tamen maiorem confusionem nonnulla dabimus. Messiam habiturum præcurem vias ejus parantem, tradidit Malachias; ex Tribu Juda, & familia David oriturum, Isaías; in Betlehem

nasciturum, Micheas; mortuos suscitaturum, claudos ereturum, cæcos illuminaturum, Isaïas; à Judæis reprobandum, Sapientia liber, ab amico prodendum, instar ovis ad occasionem ducendum, Jeremias; in faciem cadendum, flagellis verberandum, à falsis testibus accusandum, manibus, ac pedibus perforandum, inter latrones crucifigendum, felle, & aceto potandum, à prætereuntibus irridendum, ejusque vestimenta missis sortibus dividenda, David multis in Psalmis; quin & Amos, solem ipsum radios eo moriente subtracturum prædictis, ne, ut inquit Divus Cyprianus, Judæorum facinus aspicere cogeretur; omisis pluribus aliis vaticiniis à Catechismo non semel adductis.

19 Cum igitur viderint Judæi, Christum JESUM à Baptista prædicatum, ex familia David ortum, in Betlehem natum, à Magis adoratum; cum viderint eum quacumque iter facheret, agros, & debiles omni malorum genere laborantes, solo verbo reddidisse incolumes; claudis gradieendi dedisse facultatem; cœcum oculos, mutorum linguis, surdorum aures aperiuisse; pollutos, aspersosque maculis repurgasse; mortuos velut somno solitos ad vitam revocasse; tantamque in eo faisse potestatem, ut imperio suo cogeret ventos obsequi, maria servire, mortem cedere, inferos obediere; cum viderint diris, indignisque modis vexatum, sanguissimo illo, atrocissimoque mortis genere à Regio Vate prædicto, patientissime tandem emisse spiritum, velum templi Hierosolymitanus duas in partes scisum, terram insolito more concussam, solem præter ordinem defecisse, ut à sexta hora usque ad nonam, tenebrae factæ sint; quis eorum erit adeo plumbeus, ut his visis, majorum more, pectus suum non percuat, dicatque: *Verè filius Dei erat iste?* Concludamus itaque cum Augustino epist. 3. ad Volusian. in Jesu Christi ortu, vita, dictis, factis, passionibus, morte, resurrectione, ascensione, omnia Prophetarum præconia fuisse

fuisse luculentér impleta; idque tam multis, tam magnis tam miris prodigiis, ut quemadmodum Richarius Victorinus ajebat lib. I. de Trinit. cap. 2. genus videatur dementia in his vel aliquantulum dubitare. Et hæc pro secunda parte sufficient.

20 Ad tertiam orationis partem deveniens, hanc ex multis seligo conclusionem expresse in textu traditam: *Generationem Verbi neguit humana ratio evidenter cognoscere, aut demonstrare.* Vide Praelectionem quartam à n. 14. pag. 55. & seq. sive alias cupis conclusiones, vide Catalogum in fine hujus tomii super paragraphos assignatos, & Auctores ibi citatos.

PRAELECTIO X. De Incarnatione Verbi,

ad expositionem cap. 4. primæ partis Catechismi Concil. Trid. à §. I. ad 6.

Licet cuncta fidei nostræ mysteria maximam suppeditent dicendi copiam, & plurimam afferant agentiæ materialiæ; peculiariter tamen fere omnia circumplexitur Incarnationis arcanum. In eo enim, & Trinitas Personarum, & omnipotentia Dei, & infinitus ipsius erga homines amor, & universa tandem divina attributa resplendent. Ibi originalis peccati strages appet, versatile humanum arbitrium pene deperditum, & sub immensi dæmonis jugo ita oppressum, ut miseri homines vix ad Cœlum possent erigere caput, nisi misericors Dominus immemor injuria, memor clementiæ, ad illos è tot miseriis sublevandos descendisset de Cœlis, & incarnatus de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine homo factus esset. De hoc igitur magno pietatis Sacramento, quod abs-

Tom. I.

R

con-

conditum à sacerdotiis, in novissimis temporibus manifestatum est in carne, (a) hodie tractaturus, ad elucidationem cap. 4. primæ partis Catechismi Concil. Trid. Sanctorum Trinitatis opem, imploro, Patris &c. Adesto etiam mihi Purissima Virgo Maria; & sicut, ut in te fieret hoc admirabile opus, invenisti gratiam apud Deum, (b) fac ut ego etiam illam inveniam, & de tanto mysterio digne loquar. Opitulamini quoque &c.

2 Coelesti subsidio fultus, jamque mihi concessa facultate dicendi, sortitum punctum exponam. Ut autem clara methodo, rectoque ordine pergam, orationem in tres partes distribuam. In prima strictum Catechismi litteram legam, ejusque mentem, quod ejus fieri possit, aperiam. In secunda ipsam textus litteram latius pro mea tenuitate percurram, fusius enucleabo. In tertia denique, conclusionem proponam, probabo, defendam; utinam fausto eventu!

3 Primam igitur partem exordiens, sic incipit littera textus §. 1. *Maximo quidem &c.* ita vero desinit §. 6. ac perscrutari velint. Catechismi scopus in praesenti est agere de tertio articulo Symboli. Tota hujus capituli littera undecim paragraphis clauditur, quorum cum sextantum priores modo sint exponendi, ideo istorum dumtaxat dabo synopsim. Primo ergo paragraphe proponit Catechismus verbum Divinum pro nobis carnem sumisse in utero Virginis, non hominis, sed Spiritus Sancti virtute. Secundo docet, nullam ex Incarnatione Verbi sequitam esse naturarum confusionem; sed utramque inconfusam permansiisse naturam in unitate Personæ. Tertio asserit, ad hoc mirabile Incarnationis opus tres divinas Personas concurrisse, quamvis peculiariter Spiritui Sancto tribuatur, ob immensam dilectionem qua Deus prosequutus est homines. Quarto tradit, in hoc mysterio quædam supra natura ordinem, quædam ve-

(a) 1. ad Timoth. cap. 3. vers. 16. (b) Lccc 1. vers. 30.

ro naturali modo effecta esse. Quinto ait, Christum dici non posse Filium Dei adoptivum, sed verum, ac naturalem. Sexto, & ultimo explicando paragraphe sapienter adverit, fidelium animos memoria hujus mysterii esse jugiter occupandos, non ad ipsum curiose indagandum, cum nec verbis explicari, nec mente percipi possit, sed humiliter, ac fidelites adorandum. En argumentum litteræ textus, & primam orationis partem.

4 Nunc ad aliam accedamus, explanaturi litteram Catechismi; & quia, teste Cicero (a), omnis, qui de re aliqua institutus sermo debet à definitione profici, ut intelligatur quid sit id de quo disputatur; ideo ad clariori hujus mysterii intelligentiam, ostendendum prius erit, quid Incarnationis vocabulo significetur. Incarnatio ergo, juxta Damascenum, Doctorem Seraphicum, & Angelicum Praeceptorem, cum communione Theologorum, atque fidelium, est unio humanae, ac divinae nature in unitate persone. Quam unionem licet nonnulli Patres pluribus nominibus appellant, frequenter tamen, & optime Incarnatio nominatur; quidquid obmurmurent Grammatici quidam, Valla, Erasmus, & alii hujus generis, eruditione quidem, & eloquentia prædicti, sed ut mitius loquar, moderatione interdum penitus destituti; suis quippe humanæ sapientiæ verbis, plura fidei Dogmata susque de que vertere videntur, etsi solum dicant barbaras se insectari voces, dictiones male inventas, & vocabula præcis Latinis inusitata; at didicisse debuissent à Tullio, Horatio, atque Seneca (b), quos diu, noctuque versabant, licuisse semper, & quandoque necessarium esse ad res novas significandas, nova nomina usurpare; ad hoc enim inventa sunt nomina, & à noscendo etymologiam habent, ut inquit Festus.

(a) Cicer. lib. 1. de off. post initium. (b) Cicer. lib. 1. qq. Academicorum & apud Ferrari tom. 1. Philosophæ pag. 35. Senec. epist. 58.

5 Cum igitur mysterium hoc, de quo cùm Catechismo loquimur, novum per Antonomasiam dicatur à Jeremia (a), nihil mirum novo, & inaudito verbo significari. Si autem dicatur nomen istud exossum fuisse veteribus, ut testatur Athanasius, id solum erat ne cum Apollinario convenire viderentur, qui carnem tantum, & non animam à Verbo fuisse assumtam effutiebat, non quia novum, & in solitum foret. Quid? Nonne nova erat dictio *Omniosos*, seu consubstantialis? Imo & juxta plures in Synodo Antiochena contra Paulum Samosatenum damnata (b), & tamen frementibus Ariani, Niceni Patres eam in Symbolo posuerunt. Numquid recens non erat vox ista *Theotocos*, seu Dei genitrix? Et nihilominus, contradicente Nestorio, prolatafuit in Ephesina Synodo. Inusitatum tandem non erat vocabulum transubstantiationis? Id tamen non obstitit, quominus, vel Berengario reclamante, in Concilio Lateranensi IV. audita fuerit. Quidni ergo iis utemur vocibus, quas Ecclesia Spiritu Sancto edocta aptissimas judicat ad mysteria fidei explananda? Ab illa itaque, tamquam filii à Matre, discimus proferre Trinitatem, Personam, Incarnationem, Sacramentum, Purgatorium, & sexcentas similes alias voces, quæ nec prorsus novæ sunt, nec ullo modo profanae; licet enim quantum ad sonum attinet, in Scriptura non sint; ibi tamen earum significatum inventitur inclusum (c).

6 Quid enim aliud *Incarnationis* nomine intendunt Catholici, quam brevius explicare quod dicitur Joannis x. vers. 14: *Verbum caro factum est*, & pluribus aliis sacrae paginae locis? Hic autem caro pro homine capitur, ut cum Augustino ait Præceptor Angelicus in ca-

(a) Jerem. 31. vers. 22. (b) Id negat P. Meran. 1. de Divinit. Domini apud Buzium in compendio Berti. cont. communem. (c) Vid. Div. Bonav. in 1. dist. 26. dub. 1. Lambertin. de Cononization. SS. tract. 2. Lib. 4. cap. 28. num. 7. Theoph. Raynard. tom. 11. erotemate 20. pag. 243. Berti tom. 3. lib. 30. proposit. 1. in fine pag. 169. alli.

tena aurea sup. cap. 1. Joannis; quod frequentissimum est in sacrī litteris: quamvis autem anima similiter accipiatur, æquius tamen, & convenientius fuit carnis, quam anima vocabulum sumere, tum inter alia, quia caro est pars visibilis hominis, siccus optima ad hoc mysterium explicandum, quo Deus invisibilis in suis, ut ait S. Leo, *visibilis factus est in nostris*, dum in terris visus est, & cum hominibus conversatus, ut dicitur Baruch cap. 3.; tum potius, quia sic magis ostenditur divina bonitas, qua majestatem suam adeo carne sumenda dejectit, ac pene exinanivit, ut nihil in nos beneficentius, ac illustrius, nihilque magnificenter esse videatur, ut asserit Catechismus in textu.

7 Sed ad hujus mysterii, quod in tertio Symboli articulo continetur, erolationem veniamus, cuius explicationem more solito Parochis summopere commendat hic Catechismus. Hoc ergo mysterium in eo consistit, ut credamus, & fateamur secundam Trinitatis Personam, nempe Filium pro nobis humanam carnem sumisse in utero Virginis, non viri opera, sed Spiritus Sancti virtute; & hinc idem Dei Filius, Deus permanens, quod ab aeterno erat, in tempore homo factus est, ut dicit Constantinopolitana Synodus, & multo antea dixerat Joannes cap. 1, supra citato. Hanc præcipuum nostræ Religionis veritatem tanquam mysticam turrim Davidicam, ex qua mille pendet clipei, totis viribus diruere conati sunt Gentiles, Judæi, Hæretici: primi incarnationem fieri posse negantes: secundi, jam esse factam: tertii, errores innumeros circa illam comminiscentes. De primis duobus nihil modo dicemus, tum quia jam satis confutati manent ex præcedenti articulo Symboli; tum quia plura alia in præsenti dicenda se offerunt.

8 Solum ergo litteræ Catechismi hærentes, pro explicatione primi, & secundi paragraphi, aliquos hæreticos confutabimus: in primis autem ridendi potius sunt,

sunt, quam impugnandi Ophitæ insanientes Christum esse Serpentem, à quo decepti sunt primi Parentes. Theodorus Coriarius, ejusque Discipulus Theodorus Trapezita, mentientes Melchisedech, esse Christum, vel ipso superiorem, quos olim jam refellit D. Epiphanius, atque respondet D. Thomas 3. p. q. 22. art. 6. ad 3. Basilius quoque medicus sæculi duodecimi, à quo orti Bogomiles, effutis Archangelum Michaelæm fuisse incarnationem; callidissimus alter medicus Josephus Franciscus Borri, fingens inter alia, incarnationem Spiritus Sancti, qua propter ejus imago Roma in Campo Flora combusta est anno 1661. Quod cum ipse postea sciverit, illudendo dixisse fertur, numquam tantum frigoris passum fuisse, quam illa die. Cujus vitam, & miracula, lepide pro more suo referit Eruditissimus Feijooanus tom. 3. Theat. Crit. disc. 2. §. 11. à n. 36.

9 Quidam antiqui opinati sunt Spiritum Sanctum sumisse corpus columba in Christi Baptismo, ut inuit Augustinus tract. 99. in Joann. apud Cl. Calmet dist. de Baptismo art. 3. Alii dixerunt Antichristum fore Diabolum incarnatum, contra quos D. Hyeronimus super cap. 7. Danielis ait: „Ne putemus Antichristum juxta quorundam opinionem, Diabolum esse futurum, sed unum de hominibus, &c.“ Et merito quidem rejicienda est hæc opinio, cum nemini nisi Deo incarnatione fieri possit, nec alterius naturæ hypostatica unio; nulla enim persona creata recipere potest naturam sibi extraneam, ut docent Theologi cum D. Thom. 3. p. q. 3. art. 1. (a). Risu etiam, seu commiseratione potius audiendus est Petrus Lucensis, Canonicus Regularis, qui falsa cuiusdam feminæ revelatione delusus, Verbum Divinum non in utero, sed in corde Virginis incarnatum fuisse vulgavit, ratus

(a) Vid. Theophil. Raynaud. tom. 1. pag. 207. num. 128.

novo isto invento, & Christi honori, & Matris dignitati melius consultum iri (a); sed vana haec illum fecellit existimatio, Scriptura aperte repugnans, & Sanctis Patribus omnino contraria; qui Virginis uterum miris esserunt laudibus. Audiatur solus D. Bernardus Serm. de Assumt. dicens: *O venter capacior cœlis, diffusior terris, latior elementis, qui illum continere valuit, quem totus orbis comprehendere non potuit!*

10 Verum, licet hucusque citati non multum nobis stomachum moveant, nec severiori confutatione indigeant, quam simplici errorum narratione; qui tamen sequuntur, sunt acris insectandi; illi scilicet qui pertinacius negant Christi divinitatem, ut Cerinthus, Arius, Socinus, & hujus furoris alii; qui ejus humanitatem inficiantur, ut Saturninus, Manes, Valentinus, allique similes rabulæ; qui tandem eum ex virili semine procreatum commenti sunt, uti Ebion, vel duplice constare persona, ut Nestorius, vel unica tantum natura, ut Eutyches: is enim nimio astu Nestorium insectatus incidit in Scyllam, volens vitare Charybdim. Omnes inquam prafati Ariani, Manichei, Nestoriani, Eutychiani, & quotquot elapsi sæculis conciliis inierunt adversus Dominum, & adversus Christum ejus, si opus foret, ferro essent, & igne vastandi; sed quia impurissimi nebulones jam dudum ultricibus flamminis in gehenna poenas luunt, solumque eorum manent errores, & execranda nonsina, nihil aliud nostra interest, quam istorum falsitatem ostendere.

11 Nunc igitur probabimus breviter cum Catechismo Christi divinitatem, humanitatem, ac subsistentiam duplicitis naturæ integræ in unitate personæ. Quod totum evidentissime docent permuta Scripturæ testimoniæ.

(a) Vidi Serr. exercit. 27. à num. 4. Lambertini lib. 2. de festis B. M. V. c. 3. n. 19. ac lib. 2. de Canonizat. SS. cap. 32. num. 8. Gotti tom. 1. de Verit. Relig. Christian. tract. 5. cap. 5. §. 3. n. 27. & 28. pag. 304. alii.

monia; pauca ex innumeris proferantur Christum esse Deum jam vaticinati sunt Baruch c. 3. v. 26. Isaías c. 2. v. 4. & alibi. Zacharias c. 2. v. 8. Regius Prophetæ pluribus psalmis, & idem clare patet multis aliis locis veteris Testamenti. Nec aliud in novo habetur expressius. Infinitus esset, si omnia vellem enumerare, cum nihil sit magis obvium in Evangelio, imo Christus ipse, qui summa veritas est, idem sepe ore suo pronunciat, ejusque opera testimonium perhibent veritatem; sed quid opus est ejus humanitatem probare, quam tringita tribus annis omnibus gentibus præbuit, & aspiciendam, & contrectandam? Cæcos profecto esse oportet hæreticos, qui Christum verum Deum, & hominem non fatentur, nam sole sunt clariora testimonia, quæ illum modo Deum, modo hominem, modo Filium Dei, modo Filium hominis denotant, ex quibus aperte liquet duplē habere naturam in unitate personæ.

12 Id ipsum plurima probant Concilia contra memoratos hæreticos celebrata, ut Nicenam primum contra Arium dicens: *Eos, qui dicunt, erat quando non erat, aut mutabilem, & convertibilem Filium Dei, hos anathematizat Concilium.* Constantinopolitanum etiam primum contra Apollinarem, aliosque sic in Epistola Synodica loquitur: *Nos præterea doctrinam Domini-nicæ Incarnationis integrum, & perfectam tenemus; neque dispensationem carnis Christi, vel animæ, vel mentis expertem, vel imperfectam esse asserimus; sed agnoscimus Verbum Dei ante sæcula, omnino perfectum hominem in novissimis diebus pro salute nostra factum esse.* Chalcedonense contra Eutychen, & Dioscorum: *Confitemur, inquit, in novissimis diebus Filium Dei unigenitum in duabus naturis inconfusum, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum (a).* Idem con-

fir-

(a) Vid. Scholag. t. 2. l. 2. p. a. cap. 9. §. 5. pag. 291. &c.

firmant universi Ecclesiæ Patres præsertim S. Leo Papa citatus à Catechismo, Serm. i. de Nativit. Domini. Serm. 4. in Epiph. & Epist. 10. ad Flavianum. Dignus etiam est, qui consulatur Angelicus Præceptor D. Thomas lib. 4. contra Gent. cap. 35. & 3. p. q. 2. art. 1. cuius verba brevitatis causa omitto.

13 Ex dictis satis probata manet duplex Christi natura, unde asserit D. Thomas 3. p. q. 2. art. 4. Christum dici posse personam compositam, non ex diuibus personis, ut Nestorius somniauit, neque ex duplicitis naturæ confusione, ut contra Eutychem probavimus supra; sed ex natura humana, atque divina, unaquaque integra subsistente suis proprietatibus prædicta; & inde oritur communicatio idiomatum, sive proprietatum, qua quidquid dicitur de homine, de Deo etiam prædicatur, & e converso. Dupliciter autem, ait Angelicus Doctor, & communiter Theologi, possunt proprietates unius naturæ prædicari de altera, in abstracto scilicet, ut schola loquitur, & in concreto. Primo modo enunciatio falsa esset, ut si diceretur: *Humanitas est divinitas, Deus est humanitas, homo est Deitas,* &c. Secundo autem modo verissime dicitur: *Homo est Deus, Deus est homo, natus, passus, & similia, quia haec omnia de persona Christi dicuntur, quia duplice constat natura; abstracta vero ad alia non feruntur.* Sed de his plura brevitas temporis non sinit dicere, quoniam alii paragraphi Catechismi sunt exponendi.

14 Ad paragraphum ergo tertium transeamus, in quo asserit Catechismus, omnes tres divinas Personas incarnationis fuisse Auctores, etsi solus Filius humana naturam induerit; quod optime probat illa christiana fidei regula dicens (a): *cuncta, quæ Deus extra se.*

Tom. I.

S

in

(a) Vid. Salmanticens. Scholast. tom. 9. pag. 331. Palanco tom. 1. de Incarnat. pag. 305.

in rebus creatis agit, tribus Personis communia esse, neque unam magis quam aliam, aut sine alia agere. Quomodo igitur, sciscitatibus aliquis, solus Filius dicitur incarnatus, & non Pater, ac Spiritus Sanctus? Respondet breviter cum D. Thoma 3. p. q. 2. art. 3. Incarnari non esse proprie operari, sed terminare naturam humanam persona divina, & cum per hanc Filius distinguatur a Patre, & Spiritu Sancto; ideo solidi Filio convenit Incarnatione, etsi omnes tres Personae in omnibus aliis ad Incarnationem pertinentibus aequ concurrerint, creando animam, producendo corpus, & uniendo utrumque Verbo divino, quod variis exemplis explicant Fulgent. ad q. 2. Ferrandi, Aug. Serm. 3. de Temp. & Anselmus lib. de Incarnat. Verbi cap. 7. Quia tamen in hoc opere maxime amor Dei erga homines eluxit, & amor specialiter de Spiritu Sancto dicitur; ideo Incarnatio recte ei tribuitur. Nec propterea Spiritus Sanctus dicendus est Pater Christi, neque Sanctissima Trinitas, propter rationes quas adducunt Theologi cum Magistro in tertio dist. 4. Ad quod videri possunt D. Bonaventura D. Thomas, & alii recentiores contra Berryerum (a).

15 Paragrapho quarto habetur, non omnia in Christi conceptione facta, fuisse miraculosa, sed plurima; illa scilicet quæ à parte principii activi stetere, quæ vero à parte principii passivi, naturaliter evenerunt; & hinc optime ait D. Thomas 3. p. q. 31. art. 5. „Ad naturalem modum generationis Christi pertinet, quod ejus materia de qua Corpus ejus conceptum est, sit conformis materie, quam alia femina subministrant ad conceptionem prolis. Hac autem materia secundum Philosophum in lib. de Generatione animalium est sancta, quia mulieris, non quicunque, sed perductus ad quam-

„dam

(a) Vid. Paulus à Concept. t. 4. pag. 663. Vid. Mas. incommoda probabilis. q. 3. art. 5. §. 8. num. 305. pag. 268.

„dam ampliorem digestionem per virtutem generatrixam matris, ut sit materia apta ad conceptionem; & ideo ex tali materia fuit Corpus Christi conceptum.“ Non igitur conceptum fuit Christi Corpus ex tribus sanguinis guttulis ex Virginis corde delapsis, ut quædam Sanctimonialis scripsit, neque in illius corde, ut perperam creditit citatus Petrus Lucensis. Si enim Beata Virgo ex parte sui non eodem, quo cætera mulieres, modo ad Christi conceptionem concurisset, illam ministrando materiam, quam alia feminae subministrant, non fuisset Mater Dei, quod impie ajebat Nestorius; non enim ut aliquis dicatur Filius, sufficit ejus corpus fuisse ab alio quomodocumque desumitum; sed amplius requiritur ex illa materia factum esse, quæ generatione derivit, & in loco naturaliter destinato ad recipientum, ac maturandum foetum; qua propter Eva non dicitur filia Adæ.

16 Sed quia ad generationem non satis est sola materia femina, sive ovum, sive semen, sive sanguis dicitur; de quo acriter disputant Medici, atque Philosophi, à Theologis autem verius sanguis vocatur cum sexta Synodo generali actione 11. & D. Thoma 3. p. q. 31. art. 5. quia in quam, non satis est concursus matris ad preceptionem prolis, sed patris quoque requiritur, qui in Christo non fuit; ideo ex hac parte supernaturalis fuit dicta conceptio; nec unum tantum fuit in ea miraculum, sed multiplex. Primum, quod Virgo conceperit absque viri copula. Secundum, quod hac conceptio momento perfecta fuerit, prodatis nempe brevissimis illis Mariæ verbis: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum Verbum tuum*, statim Sanctissimum Christi corpus formatum, eique anima rationis compos conjuncta est, quin expectatum fuerit tempus à natura, ad organa corporis aptanda prescriptum; non enim tam brevi generantur homines; quamvis in assignando tempore multa dicantur, & nihil certi ha-

beatus (a). Tertium miraculum, & longe maximum fuit, quod eodem prorsus tempori puncto, corpori, & animæ Christi unitum fuit Verbum divinum, quo mansit Christus verus Deus, & homo, beata visione fruens, tot, tantisque virtutibus, donisque tam amplis ornatus, ut de plenitudine ejus nos omnes acceperimus.

17 Manent adhuc duo explicandi paragraphi Catechismi, quintum nimirum, ac sextum; sed cum in his immorari non possim, ex multis pauca dumtaxat afferam. Paragrapho igitur quinto ait Catechismus Christum Dominum dici non posse adoptivum Dei filium, quamvis illum Spiritum habuerit, quo Sancti homines filiorum Dei adoptionem consequuntur, quia ejus naturalis est filius, quam rationem tradit etiam D. Thomas 3. p. q. 23. art. 4. his verbis: *Ambrosius dicit lib. de Incarnatione adoptivum filium, non dicimus filium esse natura, sed eum dicimus natura esse filium, qui verus est Filius. Christus autem est verus, & naturalis Dei Filius, secundum illud 1. Joan. ultimo, ut simus in vero filio ejus Iesu Christo, & Matthei 3. hic est Filius meus dilectus*, aliaque Scripturarum testimonia. Igitur Christus neque ut homo dicendus est Filius Dei adoptivus. Quare merito variis Synodus damnati fuerunt Felix Urgelitanus, & Elipandus contrarium dictantes (b). Nec obstat, quod Christus ut homo non sit ab æterno genitus, nam licet ille, quia homo, non sit naturalis filius Dei per æternam generationem, convenit tamen ei per unionem hypostaticam, per quam factum est, ut humanitas Christi vere, & proprie sit substantialis natura filii Dei: adeoque, ut ip-

(a) Vid. Ferraris verbo *Abortus* n. 16. Cuniliati t. 1. tract. 8. c. 1. §. 3. n. 5. pag. 325. & Anton. Joseph. Rodriguez Cistercien. in *Apolog. ad calcem tom. 3. novi aspectus* pag. 367. à num. 100. ultima edit. Matrit. anni 1764. (b) Vid. Berti t. 3. lib. 27. cap. 2. Ferrer tom. 4. num. 478. pag. 438. & Lambertini lib. 4. de Canonizat. SS. part. 2. cap. 12. ubi de S. Ildefonso, & Hilario agit.

ipse quatenus homo, sit Filius Dei naturalis, & non adoptivus.

18 Sexto, ac ultimo paragrapho optime pro more advertit Catechismus, hoc mysterium esse jugiter à fidelibus meditandum, ut inde salutaris Incarnationis fructus percipiatur: quod quidem fieri deber, non curiosa indagine perscrutando abditissimum istud arcanum, humanæ mentis aciem superans; sed summa animi demisione ipsum credendo, ac immensas Deo gratias habendo, qui tantum beneficium sua nobis incarnatione exhibuit. Certe, quicumque hoc mysterium sedulo animadvertis, licet saxeus sit, ejus meditatione liquecet; nec ab amando Deo poterit abstinere; ad quod omnes Ecclesiæ Patres hoc efficacissimo medio homines adhortantur (a); quorum duos tantum pro coronide afferam, Augustinum scilicet, atque Bernardum: primus lib. de Catechizandis rudibus ita suaviter inquit: „Ama amorem illius, qui amore tui „, amoris descendit in uterum Virginis, & ibi amo- „, rem suum amori tuo copulavit, humiliando se, su- „, blimando te; conjungendo lumen sua æternitatis li- „, mo tuæ mortalitatis.“ Alter Serm. 20. super Can- tica, sic devotissime loquitur: „Dilexit nos Deus dul- „, citer, sapienter, fortiter: dulciter nempe dixerim, „, quia carnem induit, sapienter, quia culpam cavit, „, fortiter, quia mortem sustinuit. Disce ergo Christiane, ne à Christo, quemadmodum diligas Christum, dis- „, ce amare, dulciter, ne illecti, prudenter, ne dece- „, pti, fortiter, ne compressi deficiamus.“ His melleis verbis secundam orationis partem concludimus.

19 Ad tertiam itaque deveniamus, in qua probanda est hæc conclusio: *Solo lumine naturali evidenter probari nequï mysterium Incarnationis, nedum ut existens, sed nequï ut possibile.* Hanç conclusionem ex pa-

(a) Vid. Natalem Alex. hic §. 8.

raphago sexto Catechismi de promtam docet Scriptura sacra pluribus in locis, eamque confirmant Ecclesiae Patres, quorum testimonia facile apud Auctores invenientur; præsertim apud Barth. Medinam in introduct. ad 3. p. D. Thomæ q. 2. concl. 2. pag. 7. Theophilum Raynaudum tom. 1. pag. 20. à num. 43. Contensonum tom. 3. lib. 9. dissert. præambula cap. 1. spec. 1. Tournelium tom. 4. de Incarnat. quest. prævia, art. 2. & apud alios.

PRÆLECTIO XI.*De Nativitate Christi.*

ad expositionem cap. 4. primæ partis Catechismi Concilii Tridentini à §. 7. ad 10.

Mysterium à seculis absconditum, in novissimis temporibus manifestatum in carne, proponitur tertio articulo Symboli, ubi de Christo Domino dicitur: *Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.* In quo explicando, *excedit quidem, multumque supereminet humani eloqui facultatem divini operis magnitudo:* & inde oritur difficultas fandi, unde adest ratio non tacendi, ait eloquentissime Leo Magnus (a). At cum in Christi nativitate tot sint loquela, atque sermones, quis poterit exaudiri tantam inter clamantium multitudinem? Quis vero, è contrario non effabatur ineffabilem Domini misericordiam, dum Deus ipse, multifariam, multisque modis loquens olim Pastribus in Prophetis, novissime loquutus est nobis in Filio? Dum Filius ipse divinus, atque humanus, multa

(a) S. Leo Serm. 9. de Nativ.

ta humanissime tacendo loquitur? Dum Spiritus Paraclytus linguis infantum facit dissertas? Dum Angeli vocem præstant Pastoribus, Sydus cælestis Magis? Dum denique militia cælestis canit: *Gloria in Excelsis,* & Apostoli totum per orbem hanc prædicant veritatem? Quis inquam chorum non ducet cum cælestibus, atque terrestribus musicis? Illis igitur adjungamur; sed ne falso tono canamus, divinum imploremus auxilium, Patris &c. Beatissimam quoque Virginem cum Basilio Seleucia deprecemur (a): „Ut per eam dignetur Omnis, potens mentem nostram illuminare, quo proposita res absque errore cognoscatur, cognita pte dicatur, dicta sine periculo, animo capiatur.“ Adsit etiam Angelicus Præceptor Div. Thomas, S. N. prototypus mei nominis, cum reliquis omnibus in cælesti Patri commorantibus, quorum juvamine fretus ordias diceret.

2. Exactiori methodo procedere cupientes, in expositione cap. 4 prima partis Catechismi Tridentini à §. 7. usque ad 10. orationem sic efformabimus: prius totam textus litteram in compendium reducemos; deinde fusius elucidabimus; postremo thema inde promemus, probabimus, propugnabimus; utnam feliciter! Pro primo ergo, en littera textus initium §. 7.: *Natus ex Maria Virgine.* Ecceque finem §. 10. Cum ea lectio Parochi in promtu sit. His quatuor paragaphis altera tertii articuli pars explicatur, nativitas scilicet Christi Domini; sive Pastoribus elucidandum, & ovibus credendum injungitur, Jesum Christum, nedum de Spiritu Sancto fuisse conceptum, sed etiam ex Maria Virgine natum. Quod quidem mysterium gaudio, & lætitia celebrari, Angelorum verba declarant Lucæ secundo; quoniam tunc in semine Abrahæ jam benedicebantur omnes gentes, & amplis-

(a) Basili. Seleuc. orat. 39.